



RECTORIUS
SACRILEGII

act. Nr. 229

W. W.

Tossanis, D.

n. 5. raiture Schriften.

K. III. 19.



7
1
DE EXORCIS.
MO IN ACTIONE
BAPTISMI,

EPISTOLÆ TRES,
QUARVM DVÆ.

^A
D. D. TILEMANO
HESHVSIO.

Tertia, à.

D. PHILIPPO MELANCHTHONE
NOMINE ACAD. VVITTEBERGEN-
sis scripta. Anno 1558.



HALÆ SAXONVM.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA

Achatij Liscani, Anno 1590.

69. VII.

DE EXORCIS

MO IN ACTIONE

EXORCIS

EPISTOLAE TRES

DE

D. D. TILMANN

HESS

1711

D. PHILIPPO MELANCTHON

OPUS

IN



HABE

EX ORATIONE

1711

1711



DE EXORCISMO.
EPISTOLA PRIMA D. D. TILMANI HES-
husij ad Reu. & doctiss. Verum D. D.



ALVTEMA FILIO DEI, QUI EST VMBRA-
culum ab aestu & refugium à nimbo. Reue do: Superintendens, amice
uevus & colende Si mihi in animo esset responsionis tarditatem, &
diuturnitatem silentij sollicitè excusare: fortassis honesta oratio mi-
hi non esset defutura: Præsertim cum aduersa mea ualetudo, que sæ-
pe recurrit, & adsidui mei labores, & uariæ occupationes meæ multis non sint ignotæ
Verum malo ego ingenuè culpam neglecti officij agnoscere, & submissè deprecari:
quam operosè me purgare, quod uideri posset non carere supercilio. Tandem ergo
promissi officij admonitus, respondeo ad tuam questionem. De Exorcismo, qui in
Baptismo infantum usurpatur. Constat omninò Baptismus, & habet suam efficaciam,
etiamsi Exorcismus non usurpetur: modo institutio filij Dei IESV CHRIS-
TI fideliter retineatur. Quæ enim ad Baptismi substantiam requiruntur, ea filius
Dei plenè & integrè nobis tradidit, & ab Euangelistis bona fide annotata sunt. Nec
ego ausim accusare Ecclesias in quibus Exorcismus in usu non est: modo sanam
retineant de omnibus fidei articulis Confessionem. Seruiui ego in Ecclesiis in Palatis
natu Rheni, & ad Danubium Newburgi, in quibus Exorcismus non est in usu:
nec ego unquam aut ulli ea de re controuersiam moui. Non enim dubitauit, uerba
ab ipso filio Dei, præceptore & principe nostro nobis præscripta & mandata suffi-
cere. Existimo etiam Exorcismum cum expressum de eo usurpando mandatum in
sacris literis non extet sine conscientie labe aut uulnere omitti posse: modò & sana
sit confessio, & prudentia Spiritus uitetur scandalum Ecclesie. Simplicitatem Apo-
stol eam omnibus pompis Ceremoniarum antepono. Nos uerò hoc seculo nati sumus:
Et meritiò gratias agimus immortales, quod saluberrima lux Euangelij de Domino
nostro IESV CHRISTO, & immensis eius beneficijs nobis splendet. Miror au-
tem mihi N quod scribis te sine horrore & trepidatione conscientie Exorcismum non
posse pronunciare: Et multò magis quod in posterioribus pagellis disputas sine
peccato, Exorcismum usurpari non posse. Huius sententia si solida monstrares fun-
damenta, profecto res non esset dissimulanda, sed monenda & erudienda Ecclesia
etiam cum periculo uite. Dum uerò rationes tuas quas in chartam ut scribis consi-
iecisti, examine: animaduerto eas non esse eius ponderis, ut te adeò turbare deberent.

Primam in confesso est, infantes non esse corporaliter obsessos à Satana. Est
enim ea peculiaris peccata à Deo, ne homines adeo securè contemnant Satana insidias &



immanem potentiam. Ac ne Pontificios quidem existimo adeò stolidos & ineptus esse, ut existiment infantes omnes corporaliter à Diabolo obsideri. Esse uerò infantes tam fidelium quam infidelium sub Tyrannide & potestate Satanae, existimo te non insi- ciari. Video enim in tuo scripto te Caluini errorem de infantum ab utero sanctitate reijcere. Nec dubito quin iustas & graues habeamus causas errorem istum dam- nandi. Quicquid enim ex carne natum est, caro est, teste Christo: Ioh. 3. Etiam sanctissimi non ex Spiritu sed ex carne procreant liberos, Eph. 2. Natura sumus filij iræ: Coloss. 2. Et pater æternus eripuit nos è potestate tenebrarum; Ergò ex nati- uitate sumus sub potestate tenebrarum: Ioh. 3. Cum filius Dei dicat: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei: an non docet nos omnes natura esse sub potestate Satanae? Quod si sophismatum Caluini, quibus conatur adstruere sanctitatem infantum ex fidelibus natorum, refutationem insti- tuerem, ineptus essem. Ostendis enim te in hac confessione à nobis non dissentire. Quid est igitur mi D. quod te adeò turbat? Quod ad uocem (exorcizo adiuuro te) attinet, manifestum est, eam in Ecclesia Dei fuisse usitatam. Certè Apostolus I. Thessal. 5. Hanc uocem usurpat, adiuuro uos per Dominum. Ireneus, Polycarpi discipulus adiuurat scribas, per Dominum nostrum Iesum Christum, ut conferant exempla- ria. Non est necesse ut pietatis exempla petamus à crudelissimis filij Dei crucifixori- bus: Quid tamen in Ecclesia usitatum fuerit, uel Caiphas testari potest: Hypocrita enim simulauit se ardere zelo Dei: Matth. 26. Itaq; filium Dei adiuurauit, ut profi- teretur num esset Messias filius Dei: Neq; filius Dei contemnit pontificis scelerati iniurandum: Sed ingenuam, liberam & constantem edit confessionem. Non ergo tantam in ciecione immundorum spirituum, qui corporaliter homines obsident usura- pari solet hæc uox exorcizo, Verum etiam in alijs maximè serijs rebus. Et quidem ab Apostolo Paulo est usurpata, qui omni exceptione maior est. Cardinem ergo con- trouersie in eo uerti existimo, num Pastor Ecclesie ius, & potestatem habeat adiu- randi & mandandè Satanae ut cedat ab infante, & locum det spiritui sancto. Hoc uerò uehementèr deplorandum esset, si adeò ignota esset etiam ministris filij Dei, & pastoribus Ecclesie, amplissima, sublimis, magnifica & cœlestis potestas & ius sa- erosancti ministerij spiritus, quod ipse unigenitus & omnipotens Dei filius mediator noster, & morte sua nobis impetrauit, & Ecclesie sponse suæ liberaliter donauit. Certè uniuersam Sathanae tyrannidem subiecit Ecclesie & sacrosancto ministerio: Tibi, inquit, dabo clauas regni cœlorum. Matth. 16. Quicquid ligaueris in terra, erit ligatum & in cœlo: & quicquid solueris in terra, erit solutum & in cœlis. Regnum cœlorum ad quid constitutum est à Deo patre nisi ad destructionem tyrannidis Satanae? Ac regnum cœlorum complectitur sanè dominium & imperium in immanem illum.

illum tyrannum Satanam: Non dubito quin fatearis infantem per Baptismum eripi ex potestate Satanae: solui ex eius uinculis, liberari ex eius seruitute, & transferri in regnum lucis filij Dei. Quod quod enim in Christum baptisantur Gal. 3. Dominum Iesum induunt: Quod si ergo haec est sententia uerborum, & efficacia baptismi, cur graue est uerbis profiteri, quod re ipsa agitur? Aut neges destrui regnum Satanae ipso Baptismi usu: aut concede exorcismum. Ego enim non uideo Exorcismum aliud quippiam uelle, quam destrui tyrannidem Satanae: & infantem ex ipsius seruitute liberari.

Amplitudinem, efficaciam, magnificentiam, & sublimem potestatem sacrosancti ministerij spiritus minus a nobis expendi & considerari manifestum est: Omnipotens & unigenitus Dei filius Dominus noster Iesus Christus. morte & resurrectione sua destruxit totum Satanae regnum, peccatum & mortem. Hunc immensum thesaurum legauit Ecclesiae suae, instituto sacrosancto ministerio spiritus. Dedit insuper Ecclesiae suae ius & potestatem eligendi pastores & ministros qui ipsius beneficia mundo offerant & distribuunt. Luc. 10. Ad septuaginta inquit Christus: Ecce do uobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem uirtutem inimici: An hic de alio loquitur quam de Satana? An non expresse dicit, super omnem uirtutem inimici do uobis potestatem? An non pastores idem habent munus quod habuerunt septuaginta? An non toti Ecclesiae idem dedit ius quod septuaginta dedit? O nos socordes homines qui non expendimus magnificentiam, efficaciam, & sublime decus sacrosancti ministerij, O nos paruae fidei homines, qui amplitudinem nostri muneris non consideramus, nec promissionibus filij Dei certissimis fidem adhibemus. Vniuersum ius regni caelorum tribuit filius Dei Ecclesiae suae Ecclesia uero ius suum commendat pastoribus. Satanas uero cum uniuersa sua tyrannide subiectus est regno Christi: qui ascendens in caelum captiuam duxit captiuitatem: Certè robustior superueniens uicit eum: Luc. 11. Vniuersa eius arma abstulit, & diuidit spolia: Iesa. 49. Christus uicit mundum: Ergo & principem mundi: Omnia uero Christi beneficia sacrosancto ministerio spiritus continentur. Cur ergo pastor dubitaret, mandare Satanae ut cedat ab infante? ut locum det spiritui sancto? ut reddat quem captiuum tenuit? ne quid iuris sibi uendicet in eo, pro quo filius Dei sanguinem suum effudit? Si angeli in caelorum habent quod a pastoribus iuxta Dei uerbum pronunciatum: cur impuri & damnati spiritus, qui a nobis fidesibus iudicabuntur, obluentur? Vniuersa sacra scriptura testatur, caput, hoc est, totum regnum serpentis Satanae per semen mulieris Christum, contritum esse: omnia uero Iesu Christi beneficia nobis adplicantur in Baptismo & per baptismum. Cur ergo pastor hoc non testificaretur palam? Exorcismus quantum ego intelligo aliud non uult, quam infantem uirtute ministerij spiritus eripi.

ex feruente & tyrannide Satanae & transferri in regnum lucis filij Dei: Et sane
haec est sententia uerbarum Baptismi: Baptiso in nomine patris, & filij & spiritus
sancti. Hoc est, Mandato aeterni patris, filij & spiritus sancti te miserum infantem
Satanae mancipium, eripio per hoc lauacrum regenerationis ex potestate & tyranni-
de Satanae, & transfero te in regnum lucis filij Dei. Si enim in mortem Christi bap-
tisamur: Cum Christo crucifigimur: ut deinceps Satanae nihil iuris in nos possideat.
Hoc ergo amplum ius, decus, gloriam, maiestatem, magnificentiam, potestatem, im-
perium in omnes immundos spiritus, cum Ecclesia sponsa Christi, liberalitate & do-
natione sponsi sui filij Dei possideat, cur iure suo non uteretur? Cur in nomine Iesu
hosti suo deuicto non imperaret? Orthodoxae antiquitatis testimonia quando con-
gruunt cum oraculis spiritus sancti, magnum certe pondus habent: Est enim Eccle-
sia Christi columna & stabilimentum ueritatis: Puto autem te hoc a me non flagi-
tare, ut ueterum testimonia adferam. Tibi enim ut homini erudito antiquitas nota est.
Iustus omnium antiquissimus, in descriptione rituum Baptismi non facit mentionem
Exorcismi: satis enim habuit gentibus exponere substantialia Baptismi. Negari autem
non potest, uetustissimum esse usum Exorcismi in Ecclesia. Nam & Tertullianus De
Corona militis, eius meminit: Augustinus uero saepissime. Quis uero ex omni anti-
quitate impugnavit Exorcismum? An non uniuersa Ecclesia magno consensu ritum
hunc approbavit: multo ante Papatum & Antichristi tenebras: imò tempore mar-
tyrum, quando Ecclesia floruit doctrina, uirtute, confessione, spiritu, atq; miraculis?
Nostra etate Caluimiani, qui contendunt fidelium infantes ab utero matris sanctos
esse, & ad regnum Dei quodam hereditario iure perinere, ut suum obtineant erro-
rem, Exorcismum impugnarunt: & ex Ecclesia quasi impium errorem profligarunt.
Horam adiuuare & stabilire temeritatem: & sine causa turbare Ecclesiam Christi
plus satis adstrictam, non existimo esse hominis pij & prudentis.

Quod si tuis rationibus, ut eas uocas, respondere easq; refellere instiuerem:
iustum uolumen mihi scribendum esset: Ac sane si multo abundarem ocio: quod
sane non facio: labore isto non delectarer: eum uideam eas praetextus magis quam
causas esse. Ut tamen intelligas. D. frater, me alienum esse ab eorum moribus &
instituto, qui fidei nostrae dominari conantur: ad aliquot rationes tuas respondere
conabor. Primum sic colligis; Periculosum, si non planè impium est, instituire in Ec-
clesia aliquam ceremoniam, quae neq; testimonium habet, neq; probatum in sacra
scriptura exemplum: At neq; Christus in institutione Baptismi Exorcismum insti-
tuit: neq; Apostoli usurparunt: neq; extat mandatum de eo usurpando. Ergo est
deuotio humana & superstitio,

Respondeo:

4

Respondeo: si sillabas numeres, fateor, hac forma non extat Exorcismus in sacra scriptura; neq; mandatum, neq; exemplum habet: An uero nos ad sillabas & non ad ipsam sacrae scripturae mentem alligati sumus? Exorcismi mens est, nos nasci sub Tyrannide & potestate Satanae: Sacrosancti Ministerij & imprimis Baptismi hanc esse efficaciam, ut destruat tyrannidem Satanae: & eripiat infantes ex potestate tenebrarum. Hac de re non puto inter nos esse controuersiam: Quod si existimas rem te hanc doctrinam in dubium uocare, munirem causam meam testimonijs sacrae scripturae: Et D. Paulus suum mihi mox prompto officio aperiret thesaurum: ad manum esset illud, Eph. 2. Et uos, cum essetis mortui in delictis, & peccatis, in quibus aliquando ambulabatis iuxta seculum mundi huius, iuxta principem potestatis aëris, spiritus eius qui nunc efficax est in filijs incredulitatis, in quibus & nos omnes uersabamur quondam. Etiam Apostolus Paulus fatetur, se mancipium fuisse Satanae ante Baptismum. Verum non conabor hoc probare, quod sponte concedis, Quae ergo noua ceremonia additur Baptismo, quae in uerbo Dei comprehensa non sit? An non licet sensum sacrae scripturae rudi plebeculae explicare? & mentem spiritus sancti nostris uerbis euoluere? Infantes nasci cum peccato originis, sub ira Dei, & sub potestate Satanae, fateris, quantum intelligo tua scripta: Neq; negas per Baptismum destrui Satanae tyrannidem: eripi infantem ex ipsius seruitute; regenerari infantem per spiritum sanctum: & in regnum lucis transportari. Hac si in dubium uocares, cominus pugnandum esset. Verum si tuam mentem recte percepi, in eo consentimus. Non ergo ceremonia additur Baptismo, non fundata in sacra scriptura: Sed confessio de peccato originis & de nostra miseria editur: & uis magna & gloriosa Baptismi explicatur & euoluitur. Et quidnam aliud facimus in nostris concionibus? Ipsum uerbum, exorcizo, adeo te offendere non potest, cum illud in Paulo ad Thessalonicenses & apud Ireneum inuenias.

Merito me mouet Pauli dictum quod citas: Quicquid non est ex fide peccatum est. Quomodo autem probabis confessionem nostram quam Exorcismo edimus, non esse ex fide? An non sumus natura filij irae? an non sub tyrannide Satanae nascimur? An non filius Dei Ecclesiae suae dedit potestatem pellendi impuros spiritus? An uile imperium esse putabimus, regni coelorum clauis? Etiam inferorum portas subiecit filius Dei ministerio spiritus. Hac confessio cum in uerbo Dei fundata sit, fides tuto in ea aequiescere potest.

Secunda ratio à priore nihil differt, tantum mutatis uerbis idem repetit. Institutioni diuinae nihil est addendum: sensu: doctrina: mente: Vt autem pluribus uerbis rem eandem explices, quid uetat? In administratione Coenae Domini usurpamus recitationem orationis Dominicae: & publicam recitamus gratiarum actionem:

Quae

Quæro te, accusabis ne Ecclesias, quod additamenta faciant ad institutionem filij Dei? non puto. Verè enim hæc mens est spiritus sancti, ut semper & maxime in usu Coenæ Domini, & ardentè precemur Deum; & submissè illi gratias agamus. Quam multa sunt in nouo testamento: citata ex ueteri: si syllabas numeres, erunt additamenta: si mentem Prophetarū cōsideres, non sunt additamenta: sed ueritatis munimenta. Moses inquit: dominū Deum tuum adorabis & illi seruias Christus citans, Dei mandatum addit, Deo soli seruias. Hoc ne dices esse additamentum? Non puto. Imo Christus spiritus sancti mentem clarius exposuit. Multa huius generis sunt in Pauli scriptis.

Lutherus in uersione Epistolæ Pauli ad Rom. posuit: Arbitramur hominem sola fide iustificari coram Deo absq; operibus legis. Vox sola non est in textu, si syllabas numeres: Dicemusne cum Pontificijs Lutherum aliquid addidisse uerbo Dei: nequaquam. Sensus enim in Paulo est: Et Lutherus summa fide spiritus sancti mentem expressit. Non igitur additio in syllabis aut uocibus, sed in sensu & mente consistit, quod abs te diligenter uelim expendi.

Facile largior in primitiua Ecclesia ducentis ferè post Christum natum annis Exorcismum in actione Baptismi usurpatum non fuisse. Si enim in usu fuisset: Iustinus, qui Baptismi ritum exposuit, haud dubiè ut diligens & grauis scriptor eius meminisset. Sed nec Iustinus, nec Clemens Alexandrinus, nec Ireneus, uetustissimi authores, eius mentionem fecerunt. Hinc, ut rectè, colligis Exorcismum bona conscientia omitti posse, ut non necessarium, ita non sequitur, esse ritum superstitiosum uel impium, qui sine horrore non possit usurpari. Video Cyprianum, Optatum Mileuitanum, Gregorium, Nazianzenum, Lactantium, Augustinum & alios grauiſsimos authores, non solum Exorcismi mentionem facere, uerum etiam magnam ei tribuere efficaciam, ut ministerio spiritus. Augustinus inquit. De nuptijs & concupiscential. 7. Cap. 20. In ueritate itaq; non in falsitate potestas diabolica exorcisatur in paruulis, eiq; renunciant quia per sua non possunt, per corda & ora eorum à quibus gestantur, ut eruti à potestate tenebrarum, in regnum sui Domini transferantur. Nec tibi ignota est Gregorij adhortatio: Ne respuas Exorcismi curam, neq; eius prolixitatem auerſeris. Hos orthodoxos & magnæ autoritatis patres in Ecclesia & quidem totam Ecclesiam seculo illo celeberrimo & felicissimo, quo omnium doctissimi uixere scriptores Ecclesiastici. Et celebrata sunt concilia Orthodoxa: Et ueritas articulorum fidei contra uirulentos hæreticos defensa est, insimulare quod superstitiosum & inutilem uel impium ritum in Ecclesiam inuexerint, religio mihi est: neq; existimo quemquam iustas & graues habere causas ut id faciat.

Quartum argumentum prorsus non subsistit:

Negari non potest, infantes recens natos, esse sub tyrannide & potestate Sa-

tana

tane spiritualiter: Quod enim ex carne natum est, caro est teste Christo: Ioh. 3. Et Paulus affirmat nos erutos esse ex potestate tenebrarum. .i. Satane ad Coloss. 1. Et rursus, secundum principem potestatis aeris, qui spiritus operatur in filiis diffidentiae. Cur ergo non iuberetur cum seuera attestacione discedere ab infante, qui Christo inserendus & in regnum lucis transferendus est? Verba Gregorij Nazianzeni sunt tibi nota: Egressus est a te immundus & mundanus spiritus, pulsus uirtute Baptismi. Haec ego firmis rationibus & scripturae testimonijs cum refellere non possim reprehendere non ausim.

Reliqua tua argumenta quae multa & proluxa sunt, si mihi examinanda, & refellenda essent, iustum uolumen mihi scribendum esset: Verum nec ea nunc est mea uoletudo; nec tantum mihi suppetit ocij, ut hoc praestare possim. Veniam ergo dabis quod non ad singula respondeo si quid momenti habent argumenta tua hoc solum efficiunt, neque plus illis inest: Exorcismum non esse necessarium, & bona conscientia omitti posse. Quod facile largior: & dudum concessi. Tuae uero conclusiones longius progrediuntur, ceremoniam esse superuacaneam, inutilem, superstitiosam, quae sine horrore pie conscientiae usurpari non possit. Hoc ut mihi liquido demonstrares: alijs & ualidioribus tibi opus est argumentis: quae si produxeris & communicaueris: & mihi satisfecerint, lubens tuae sententiae subscribam: & meam retractabo. Nolim enim uideri pertinax.

Hanc responsionem ut in bonam partem interpreteris: & tarditati rescriptionis propter saepius recurrentem morbum ignoscas: & ueteris tui amici, qui te diligit candide, & tuam eruditionem magnificat, in tuis ad Deum precibus memor sis, rogo.

Saepe opto & a Deo peto, ut liceat bonis, doctis & Deum timentibus conuenire, & colloqui de his & similibus controuersis: & fundamenta uerae sententiae expendere: sed cum alij hoc agant ut oppressis fratribus soli dominantur: Alij toti inhiant corradendis opibus: Alij callide non solum subterfugiant sed & impediunt sententiarum collationem, nihil amplius habeo, quam ut me & totam Ecclesiam assiduis precibus Deo commendem. Huic clementi Deo & te & omnes tuos commendo. Helmstadij XI, Nouemb. 1583.

Tilemanus Heshusius amicus
tuus uetus & uerus

B

CL A

CLARISSIMO VIRO, ERUDITIONE ET VIRTUTE
prestanti VVernhero à Bere legum Doctori, & adfina
suo coniunctissimo, Talemantus Hesbassus.

S Alus à Christo Filio Dei. Legi tuam VVernhere Epistolam, quæ cum non solum locuples sit testis constantis tuæ erga me beneuolentiæ, & candidi iudicij de meis certaminibus: Verum etiam plena sit piorum gemituum & ardentium uotorum pro Ecclesiæ Christi incolumitate: Merito me insigni leticia adficere debuit. Verum quod de noua perturbatione Ecclesiæ, quæ filio Dei in nostra patria colligitur, scribis, adeo me dolore turbatum reddidit, & in tantam mœsticiam animum meum abiecit, ut omnis sensus recreationis, quem ex literis tuis percipere debui, prorsus euauerit & impeditus sit.

Quis enim uel exiliter imbutus uera pietate, non planè obstupescat, cum quotidie uel legit, uel audit tam frequentes, & multiplices scholarum & Ecclesiarum celebrium uel perturbationes, uel ruinas? Quoquo enim uertimus oculos intuendo Christi coetum, nihil propemodum occurrit, quàm noua doctum disidia, incrementa errorum, insignium doctorum defectiones à ueritate, ministrorum piorum oppressiones, scholarum uel eersiones, uel corruptiones, & Ecclesiarum quæ laudabilior erant constitutæ, in quibus sana Christi doctrina fulgebat, quæ domicilium erant ueritatis, & sancta spiritus, sancti officina, tristissima uastationes. Merito igitur lugemus hæc tristia Ecclesiæ uulnera, merito obstupescimus, & artenti gemitu nota ad Deum facimus, ut tandem respiciat miserrimum Christi gregem & tueatur doctrinam salutarem, seruet Ecclesiam, & ne sinat eam deleri sicut Sodomam & Gomorrhæam, sed aliquod sanctum semen nobis relinquat.

Nisi profecto tam euidentes extarent promissiones diuinæ, quæ testarentur nunquam fore ut electorum coetus prorsus extirpetur uel deficiat: Hæc nostra tempora nos planè abriperent in hanc cogitationem, ut statueremus, breui uniuersam piorum coetum cum tota religione extinctum iri. Verum hæc nostra est unica & firma consolatio, quod perspicue affirmat Deus, nullo unquam seculo interituram Ecclesiam, sed usq; ad extremum iudicij diem in orbe, & in hac confusione rerum mansuram. Ego inquit in Iesa: Pecite, ego feram te, usq; ad senectam & usq; ad canos gestabo te Item Psal: 72. Quam diu erit sol, nomen Christi in filios propagabitur Matth: 28. Ego sum uouiscum usq; ad consumationem seculi. Hac ergo fretus promissione confido non interituram Ecclesiam, etiamsi omnia pene ruinam minentur. Nec dubito quin & te hac consolatione sustentet.

Quia

6

Quia uerò petis à me explicationem controuersia, de qua ministri & audito-
res in nostra patria disceptant, non grauabor quid de ea sentiam, quantà possum per
spicuitate indicare. Mota est & ante hæc tempora disputatio de Exorcismo, & quin-
dem in locis plurimis. In primis uero ab Anabaptistis & Calvinistis uehementer est
agitata, atq; Exorcismus ex eorum Ecclesiis tandem explosus. Cum enim utriq; &
Anabaptistæ & Calviniani sentiant infantes fidelium esse sanctos ab utero matrum,
etiam absq; Baptismo, iudicant suo dogmati planè contrarium esse Exorcismum, quo
confitemur infantes nondum renatos lauacro regenerationis esse sub potestate Dia-
boli, & maledictioni obnoxios. Tanto ergo grauior est & maioris momenti hæc
questio, eo quod oritur ex controuersia de peccato originis, & de efficacia Baptismi
infantum: quæ duo capita si nobis eripi patiemur, non solum ad terra deliria Ana-
baptistarū prolaberemur, uerum etiam puritatem articuli de iustificatione amitteremus.

Sic igitur statuo: Exorcismum, quo in actione Baptismi per Baptismam, manda-
tur Satanae, ut ab infante discedat, & locū tribuat Spiritui sancto, ritè à nobis usur-
pari, & grauisimis de causis in ueteri Ecclesia esse institutum, & his temporibus in
Baptismo infantum, præsertim in Ecclesiis, in quibus hætenus in usu fuit, omninò res-
tenendum. Fateor non extare certum atq; expressum uerbum, quod testetur uel Chri-
stum mandasse, uel Apostolos instituisse, huiusmodi Exorcismi formam. Neq; ex scrip-
toribus, qui Apostolorum auditores fuere, & ceremonias per manus illorum accepe-
runt, ostendi potest, quod Apostoli uel ipsorum discipuli & collegæ Exorcismum in
actione Baptismi adhibuerunt. Iustinus primus scriptor post Apostolos, ubi ritum
Baptismi Christianorum describit, commemorat. Catechumenos, ubi de doctrina rectè
instituti sunt, ter mergi in aquam, in nomine patris, & filij & spiritus sancti. Et histo-
ria in Actis de Aethiope Eunuchò reginæ Candaces, Act: 8 Et alijs Baptisatis, ostens-
dit Apostolos, ubi de assensu auditorum certi fuerunt, simplicissimo ritu Baptisasse.

Etsi autem neq; Christi expressum mandatum, neq; Apostolorum traditio de
hac uel alia Exorcismi forma extat: Non propterea putandum est, authorem huius
ritus addidisse quædam de suo ad Baptismi institutionem, contra Dei mandatum,
quod uetat, ne quid uel addatur uel detrapatur Dei uerbo: Vel corrupisse filij Dei
Sacramentum. Exorcismus enim nihil aliud est, quam quædam expositio uerbo-
rum Baptismi, & aperta testificatio de usu & efficacia huius Sacramenti, nimirum
de oppressione & depulsione Satanae. Ut ergò Christus & Apostoli, antequam adul-
tos tingerent salutari aqua, erudiuerunt eos, & fidei apertam confessionem ab eis po-
poscerunt: Quemadmodū historia Philippi baptisantis Aethiopem Eunuchum regi-
næ Candaces testatur ta & nostri Baptistæ ipso Exorcismo de infante & de efficacia
Sacramenti confessionem edunt Admonent infantem à parentibus in peccatis, atq;

sub ira Dei & Diaboli tyrannide natum esse, nec posse ab hac seruitute nisi per sanguinem Christi erui: Docent ac testantur infantē, qui ad Ecclesiam adfertur, gratia Dei & uirtute Spiritus sancti per hunc ritum Baptismi, non solum donari peccatorum, remissione: Verum etiam à potestate tenebrarum liberari, eripi ex faucibus Satanae, constitui heredem & filium Dei, & per Christum uictorem Satanae. Atq; ita rupta & deleta conspiratione, & societate, qua adstrictus erat Diabolo & eius regno, nouum inire foedus cum aeterno patre, filio mediatore & Spiritu sancto.

Hinc esse sententiam Exorcismi uerba ipsa loquuntur, quia iubetur Satan discedere, & locum præbere Spiritui sancto Atq; hunc sensum conuineri in uerbis, quae filius Dei præscripsit, nemo imbutus pia doctrina Catechismi inficiari potest. Cum enim dicitur: Baptiso te in nomine patris, filij, & Spiritus sancti: Huiusmodi sententia promulgatur. Ego hac aspersione uel mersione in aquam, testor te hominem peccatis infectum, à Deo alienum, & subiectum iræ Dei & maledictioni, oppressum tyrannide Satanae, nunc admirabili Dei bonitate ex hac tristissima miseria liberari: Ipse pater aeternus nunc ablutit ab omni peccato, per sanguinem filij sui Iesu Christi mediatoris. Adfirmo te eripi ex regno Satanae & mortis, & transferri in regnum lucis. Pronuncio atq; ob signo hoc lauacro, te recipi à Deo in gratiam, idq; propter mortem unigeniti Dei filij, & regenerari per spiritum sanctum ad uitam aeternam, ut deinceps uiuas in agnitione, inuocatione & fide aeterni patris, filij & spiritus sancti: Utq; sis domicilium aeterni Dei, atq; ipse sit Deus tuus te protegat & saluet, &c.

Hic sensus cum insit uerbis Baptismi à filio Dei præscriptis: Ac planè sententia eadem in Exorcismo exprimitur: Neq; ut additamentum superstitiosum, neq; ut blasphema uerbi Dei corruptela potest damnari. Multo magis ad uocem illam referri debet, docete omnes gentes: Testimonium enim seu prædicatio est quod infantes nascantur sub regno Satanae quodq; Baptismi efficacia pellatur immundi spiritus tyrannis. Quæ si quis uellet in dubium uocare, manifestissimis sacrae scripturae testimonijs reuincetur.

Nam quod omnes infantes tam fidelium, quam infidelium ipso ortu & natiuitate carnali sint Satanae mancipia, obnoxia iræ diuinæ, oppressa morte & peccato, & planè uincta in regno Diaboli, liquet ex eo, quod Paulus inquit, Ephe. 2. Eramus natura filij iræ: Eramus ergo hostes Dei, & socij Diabolorum: quemadmodum & ipse Paulus carnalis hominis miseriam exponit: Viuebatis, inquit, secundum principem potestatis in aere. & secundum spiritum qui nunc efficax est in filijs diffidentiae: inter quos eramus & nos I. Iohan 3. Qui facit peccatum, ex Diabolo est. Loquitur autem Apostolus de regnante peccato: Quod cum sit in infantibus in peccato conceptis & natis; nec dum sint per mediatorem cum Deo reconciliati, sequitur in-

infantes

fantēs esse sub tyrannide Satanae, & ab illo regi 2. Timoth. 2. adfirmat Paulus. eos qui nondum ad Deum sunt conuersi, teneri constrictos laqueis Diaboli, & captiuos ad ipsius nutum & uoluntatem, Coloss. 1. Qui eripuit nos expotestate tenebrarum, & transtulit nos in regnum filij sui dilecti. Infinita sunt huiusmodi testimonia, quibus affirmat Spiritus sanctus, omnes homines nondum renatos ad Satanae regnum pertinere: Quemadmodum & Christus liquitissime docet Iohan: 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu non potest uidere regnum caelorum. Hinc uero exclusus, ad regnum Satanae & mortis pertinet. Causam Christus addit: Quidquid enim ex carne natum est, caro est, id est, naturae infecta peccato, uenundata & in seruitatem Satanae lapsa, & ad mortem destinata, nihil aliud producit, quam quod immundum, coram Deo reum, morti & potestati Satanae est subiectum.

Quod uero per Baptismum infantes ex his miserijs & ex tenebrarum potestate eripiantur, nemini pio & sacrarum literarum gnaro potest esse dubium: Siquidem in promptu sunt dicta: Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit, Marci ult. Item, Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, Tit. 3. Item 1. Pet: 3. Baptismus est stipulatio bonae conscientiae cum Deo, Ac speciatim de infantibus dictum est: Simite eos uenire ad me, quia talium est regnum caelorum. Necesse est igitur in baptismo, ac per hoc lauacrum regenerationis uere pelli ab infante immundum spiritum, dissolui eius uincula, & infantem fieri domicilium Spiritus sancti, & heredem aeternae uitae.

Tam si quis miretur, qua authoritate Ecclesia atq; ministri uerbi diuini usurpent sibi hoc ius & potestatem pellendi Satanam ab infante: Eiusq; tyrannidem Exorcismo dissoluendi. Sciendum est expressa filij Dei uoce hanc potestatem Ecclesiae Christi concessam & datam esse. Fuit quidem singulare donum, quod Christus dedit Apostolis authoritatem, & uim eijciendi demonia in suo nomine: Quemadmodum & caetera dona tam linguarum, quam miraculorum singularia fuerunt: Verum ea fuit quaedam corporalis eiectio, seu expulsio à corporibus.

At hic de spiritali eiectione loquimur, ubi per ministerium frangitur spiritalis Satanae potestas, & ab homine extruditur: Hanc facultatem & imperium in Satanam donat Ecclesiae suae Christus, Matth. 18. Amen, amen dico uobis, quidquid ligaueritis super terram, erit & in caelo ligatum: Quidquid solueritis super terram, erit & in caelo solutum. His uerbis Christus suam Ecclesiam, quam in eo loco alloquitur, planè dominam constituit Diaboli, & totius regni peccati: Ac uult ut ea per ministerium legis & Euangelij statuatur de peccato, morte, Diabolo & inferno, ut uel recipiat in coelam homines agentes poenitentiam, iuxta Euangelion, uel detrudat in infernum impoenitentes iuxta Legis rigorem. Cum ergò Ecclesia Dei hac potestate

B 3

destruendi



destruendi uincula Satanæ instructa sit ab ipso sponso suo Christo, uictore & triumphatore omnium hostium suorum: Cumq; ipse Christus promittat Baptisatos infantes ereptum iri ex regno tenebrarum, & fore heredes eternæ beatitudinis, nihil præter officium facit, cum per ministros suos mandat Diabolo, ut ab infante allato ad Christum cedat, & locum tribuat spiritui sancto. Hinc iam satis liquet Exorcismi ceremoniam & formam, prorsus nihil ab institutione Baptismi differre, sed potius in ea comprehendi, siue hæc uerba uel exprimantur uel tacite intelligantur.

Quando autem uel à quo primum expressa Exorcismi forma, in actione Baptismi sit usurpata, non constat. Recentem autem hunc ritum non esse, sed statim post tempora Apostolorum institutum, & Episcoporum consilijs confirmatum, ex probatis authoribus potest demonstrari. Tertulianus qui uixit circa annum Christi 200. aliquoties Exorcismi meminit, ut in lib. de præscriptione aduersus Hæret: Item de corona militis, de idololatria. &c. Existimo autem cum non loqui de hac consuetudine in actione Baptismi, adiuratione pellendi Satanam: Sed de eo ritu seu dono, quo demones à corporibus per Exorcistas eiciebantur.

Duplex est enim Exorcismus, quemadmodum & duplex est obsessio. Alias enim corpus obsidet demon aliquis, qui est quidam peculiaris morbus, seu pœna diuina singularis, qua qui adfliguntur, nominantur, Catechomeni, Energumeni, Dæmonia habentes, Euthusiastæ, Euthei, Engastrimythæ. Alias uerò spiritualiter occupat hominis animam Satan, cum uidelicet uinculis peccati & inferni tenet eam constrictam. A corpori eijcere Satanam, & homines obsessos sanare, peculiaris doni est, de quo Christus inquit ad Apostolos, Matth: 10. Dæmonia eijcite. Ac quia omnibus serè temporibus aliquibus in Ecclesia hoc donum datum fuit, certum illis nomen est inditum, quo adpellati sunt Exorcistæ aut Eporcistæ. Existimo autem neminem hanc facultatem usurpare posse, nisi cui singulari Dei beneficio sit collata. Filij Scæuæ pontificis ut in actis est, Act. 19. temerè & absq; fide in Christum, tentant expellere demonem in nomine Iesu: Sed ut Lucas refert, suæ temeritatis graues dederunt pœnas. De hoc ergò Exorcismo, quo à corporibus extra Baptismi ritum pellitur Satan, nulla hic est quaestio.

De altero uerò, quo in actione Baptismi spiritualis Diaboli tyrannis frangitur, & ab anima, quam ratione adnati peccati possidet fugatur, hic agimus: Atq; hunc morem in uetustissimis & probatissimis autoribus reperiri adserimus. Cyprianus Carthagenensis Episcopus, qui uixit circa annum Christi 250. & Exorcismi mentionem facit, & disertè testatur per sanctificationem Baptismi opprimi atq; excludi Diabolum. Verba eius sunt in Epistola 7 lib. 4. Quod hodie etiam geritur, ut per exorcistas uoce humana & potestate diuina flagelletur & uratur ut torqueatur Diabolus. Breuè exire se & homines Dei dimittere sepe dicat, & in eotamen quod dixerit

8

dixerit fallat, & id quod per Pharaonem prius gestum est, eodem mendacio obstinationis & fraudis exerceat: Cum tamen ad aquam salutarem, atq; ad Baptismi sanctificationem uenitur scire debemus & fidere, quia illic Diabolus opprimitur, & homo dicatus diuina indulgentia liberatur. Et in eadem Epist: Ut manifestum sit Diabolum in Baptismo fide credentis excludi: Si fides postmodum defecerit regredi.

Ac fuisse iam tum receptam consuetudinem & minime recentem, Imò ut Augustini uerbis utar, antiquissimam Ecclesie traditionem, lib: 2. de nupt: & concup. Exorcismo pellere Satanam in actione Baptismi, id uidere est, in censuris Episcoporum in Synodo Carthagenensi conferentium sententias, de reiteratione Baptismi ab hereticis accepti. Tres enim Episcopi in publica Synodo, cum pronunciant iuxta Cypriani sententiam ab hereticis tinctos rebaptisandos esse, simul inquit eos esse exorcisandos. Non loqui Episcopos de ijs, qui corporaliter à demonibus uexabantur manifestum est Quia disputatio erat de hominibus, qui apud hereticos baptismo erant initiati, & postea ad Ecclesiam relicto errore sese adgregabant: Horum neminem censent recipiendum nisi exorcisatum, & aenuò baptisatum. Ac quia huiusmodi sententia in celebri Synodo pronuntiata sunt, necesse est publicum fuisse Ecclesie morem, usurpare Exorcismum in actione Baptismi. Hæc synodus Carthagenensis circa annum Christi 250. celebrata est.

Claruit in Ecclesia Dei præclarus author Gregorius Nazianzenus circa annum Domini 350. Hic quoq; scribit Exorcismum in Ecclesijs Græcis in actione Baptismi usurpari solitum. Ita enim hortatur Catechumenos in oratione in sanctum lauacrum: Ne respuito culturam Exorcismi, neq; eius prolixitatem agrè feras. Ac in eadem oratione disertè adfirmat. Satanam ab homine excludit in Baptismo, Egressus, inquit, à te est immundus & sordidus spiritus pulsus baptismo.

Quod Nazianzenus de Ecclesie ritu in Græcia scribit: Idem de Africanis Ecclesijs, Optatus Mileuitanus Episcopus, qui sub idem tempus uixit & Donatistarum sectæ restituit adfirmat. Hæc enim Optati sunt uerba, lib: 4. Nam neminem fugit, quòd omnis homo, qui nascitur quamuis de parentibus Christianis nascatur, sine spiritu mundi esse non possit, quem necesse sit ante salutare lauacrum ab homine excludi & separari. Hoc Exorcismus operatur per quem spiritus immundus depellitur, & in loca deserta fugitur, Item uos rebaptisando exorcisatis hominem fidelem: Et dicitis Deo habitanti, Maledicte exi foras.

Ex Augustino quid opus est multa adferre testimonia? cum ille multis in locis Exorcismi mentionem faciat, atq; ex forma Exorcismi ualida argumenta aduersus Donatistas contexat. Nam in hunc modum scribit, lib: 1. de peccato: merit: Quid de ipsa forma Sacramenti loquar? Vellem aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi

mibi Baptisandum paruulum offerret. Quid agit in illo Exorcismus meus, si in familia Diaboli non tenetur? Ipse certe fuerat mihi responsurus pro eodem paruulo, quem gestaret, quia ille pro se respondere non posset. Quomodo ergo dicturus erat eum renunciare Diabolo, cuius in eo nihil esset? Item, lib: I. aduersus Iulianum, profecto exorcisatus & exufflatus es, ut à potestate eratus tenebrarum, in regnum Christi transferreris.

Ex his testimonijs liquidò constat, non solum Exorcismum in actione Baptismi tempore Augustini passim in Ecclesia fuisse in usu: uerum etiam nihil aliud queri hac forma, quam ut testificatio publica fiat, Baptisatum ex tyrannide Satanae eripi, & in regnum lucis uel efficacia Sacramenti & publicæ preceationis transferri. Cogitet igitur is, qui Exorcismi usum, congruentem cum institutione Baptismi, in ueteri & puriore Ecclesia passim usurpatum, probatissimorum patrum testimonio comprabatum, & ad declarationem articuli de peccato originis perutilem, ex Ecclesia eijcere conatur: quam temerè & impudenter ueteris Ecclesie & sanctorum Patrum auctoritatem conculcet, quam periculosè receptam in Ecclesia consuetudinem oppugnet, quam grauius piorum animos offendat, efficaciam Baptismi labefactando & malum originis extenuando.

Non damno Ecclesias, in quibus Exorcismus nunquam forma aliqua expressa fuit in usu: Modò uerum & genuinum sensum uerborum Christi instituentis Baptismum, retineant. Nec sentio eos infantes, qui absq; Exorcismo sunt Baptisati, retinendos esse. Cum enim Christi institutio integre retinetur, ad ueritatem Baptismi integri nihil iure potest desiderari. Atq; ipsissimus Exorcismus in his uerbis continetur: Baptiso te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Hic enim fit testificatio, infantem erui ex seruitute Satanae, & consociari aeterno Deo. Attamen eos, qui usitatam in Ecclesia Christi Exorcismi formam cum grauisimo scandalo piorum, uel ex studio rerum nouandarum, uel ex insidiosis consilijs, explodunt ex actione Baptismi, grauisimè peccare certum est. Scriptum est enim: Væ homini, per quem ueniunt scandala.

Illud uerò multò minus ab illis rerum nouarum autoribus ferendum est, quod non solum inscitia & inquietudine Exorcismum oppugnant: Verum etiam articulum fidei de peccato originis planè infringunt, dum causas sui propositi adferunt. Cū enim fatentur, ideo sese omittere Exorcismum, quia statuunt infantes non esse obsessos à Satana, imo & sanctos, utpote à sanctis natos: Quid aliud agunt, quam quod doctrinam Ecclesie, de corruptione nature per Adæ lapsum, & de uiciniati peccati eneruant? Cumq; hæc Sophismata à Caluino & Beza mutuati sint, qui palàm adferunt

runt

9

runt infantes fidelium, etiam ante Baptismi perceptionem esse membra Christi, uiua
& sancta, non obscure significant, quem errorem in Ecclesiam inuicere nitantur.

Quæ uero à Calvinianis ad extenuationem peccati originis prætenduntur,
nullo negotio diluuntur: Nam primum quod inquirunt: Infantes non esse à Satana
obsessos, concedendum omnino est: Siquidem duplex est, ut supra indicatum est ob-
sessio. Alia corporalis, alia spiritualis. Corporaliter infantes non sunt obsessi. Nam
hic peculiaris est morbus, & plaga diuina, qua admonentur homines, de horribili
Satanae crudelitate & furore aduersus hominum naturam. Verum spiritualis obsessio
est dominium Satanae in hominem sibi subiectum, & peccati uinculis constrictum.

Quod ergo Satan omnes non renatos tanquam sua mancipia possideat, & in
eos regnum suum teneat, plurimis scripturae locis docetur, Lucae 11. Cum fortis ar-
matus custodit Palatium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. 2. Timoth. 2. Et resi-
piscant ex Diaboli laqueis, capti ad ipsius uoluntatem. 1. Iohan. 3. Qui facit pecca-
tum ex Diabolo est. Ephe: 2. Spiritus huius mundi efficax est in filiis dissidentiae. Et
quidnam uniuersa scriptura profitetur aliud, quam omnes eos, qui à Christo filio Dei
liberati non sunt, nec ad regnum lucis perueniunt, esse oppressos tyrannide Satanae, &
dominio peccati: Quare cum infantes in peccatis concepti & nati, & à natura filij
iræ & serui peccati, ante Baptismum ad regnum tenebrarum pertineant: Certè spiri-
tualiter à Satana occupantur, & ipsius premuntur tyrannide.

Vnde & Augustinus rectissime scribit de peccato originis. Ipsa inquam san-
ctæ Ecclesiae Sacramenta satis indicant, paruulos à partu, etiam recentissimos per
gratiam Christi, de Diaboli seruitio liberari. Excepto enim quod in peccatorum re-
missionem non fallaci, sed fideli ministerio baptisantur, etiam prius exorcisatur in
eis & exufflatur potestas contraria: Cui etiam uerbis eorum à quibus portantur,
se se renunciare respondent.

Eiusdem farinae est quod Calviniani ex Paulo argumentantur, fidelium pueros
sanctos esse ab utero ante Baptismum: Adduci sanè non possum, ut credam Calvinum
& eius gregales ex inscitia Pauli locum ad præsentem controuersiam accommodare:
Res enim est manifestissima: Sed statuere cogor meram esse maliciam & petulantiam
manifesta dicta scripturae pro libitu contorquendi ad errorum defensionem. Quis
enim est tam rudis, ut non uideat Paulum, 1. Corinth. 7. Non loqui de sanctificatio-
ne spirituali: Quæ uim contingit homini, cum ei peccata propter Mediatorem sunt
remissa & obedientia Christi imputata: Ac donatur sancto Spiritu, qui eum rege-
nerat, & sanctificat in habitatione, & donorum suorum communicatione? Dicit
enim uirum infidelem sanctificatum esse. Sanctificatus es, inquit uir infidelis per
mulierem: Et sanctificata est mulier infidelis per uirum. An hæc possunt de illa san-
ctificatione

C

Etificatione intelligi, de qua Paulus loquitur: I. Corinth. I. Christus factus est nobis à Deo sapientia, iustitia sanctificatio & redemptio. Quis hoc adseret, cum constet infideles non esse participes spiritus uitæ Christi?

De alia igitur sanctificatione non illa spiritali, sed externa, & politica loquitur: uidelicet, quod coniugium sit sanctum, id est legitimum à Deo concessum, & quod uir fidelis mulieri infideli bona conscientia cohabitare possit: Ac loquitur hic Paulus, iuxta consuetudinem Mosaicam, quæ commune adpellat, quod est lege uctum & immundum: Sanctum uero, quod diuinis legibus est concessum: Sic & filios horum coniugum, quorum alter fidelis, alter infidelis est, sanctos adpellat Paulus, id est, legitime in legitimo coniugio natos. Nam si non liceret uiro retinere coniugem infidelem, tum filij eorum non essent sancti, id est, essent spurij, non ex matrimonio sed ex fornicatione nati.

Verum longè alia sanctificatio acquiritur in Baptismo, ubi & peccata remittuntur, & ira Dei placatur, & Spiritus sanctus in cor infantis infunditur, & noua lux, uita & iustitia communicatur. Vides ergò adfinis Verberere, quam sit hæc crasso & impudens Caluini & Beza impostura, quod inter Politicam seu legalem, & spiritualem sanctificationem, nihil prorsus discriminis faciunt, & loco Pauli tam aperto, adeò stolidè abutuntur.

Atq; hæc sycophantia tanto maiore odio est digna, quod Caluinus & Beza non ignorant, iam dudum hoc Sophisma à Pelagianis primum productum in theatrum, ab Augustino explosum & prostratum esse. Nam libro 22. de peccatorum meritis postquam ostendisset sanctificationem non esse unius modi: tandem de Pauli dicto, quod sibi obiectum erat, hoc modo concludit. Ac per hoc & illa sanctificatio cuiuscunq; modi sit, quam in filiis fidelium esse dixit Apostolus, ad istam de Baptismo & de peccatorum origine, uel remissione questionem non pertinet. Ac multis argumentis docet Augustinus, Infantes à fidelibus parentibus natos, nisi Baptisentur, non esse sanctos, nec ad regnum cælorum pertinere, lib: 2. de peccatorum meritis.

Stupenda planè temeritas est, qua Calumiani, nouos audent Ecclesiæ obtrudere articulos, non solum nullo Prophetarum uel Apostolorum testimonio munitos: Verum etiam expresse pugnantes cum sacra scriptura. Cum enim adserunt renatorum hominum infantes esse sanctos & hæredes regni Christi ab utero matris ante lauacrum regenerationis, disertè Christo contradicunt adfirmanti, Iohan. 3. Quidquid ex carne natum ex caro est. Et Iohan. 1. Qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt. Ex quibus testimonijs patet, carnali procreatione non nasci Dei filios sed tantum carnales & iræ diuinæ obnoxios. Et cur diceret Christus. Nisi quis renatus fuerit ex

10
et ex aqua & spiritu, non intrabit regnum caelorum: Si iustorum hominum liberi ab utero sunt sancti? Cur David queritur se in peccatis conceptum esse: Si sanctitas parentum propagine traducis in prolem deriuatur? Verum execrandus est hic Anabaptisticus error, qui & malum originis extenuat, & vim Sacramenti Baptismi eleuat. Recte dicit Augustinus: peccator gignit peccatorem: uerum ex iusto non nascitur iustus. Nam iustitia est res spiritalis, quae spiritali regeneratione acquiritur, non carnali transfusione contrahitur.

Quod si uolunt Calviniani, hominum renatorum, & iustorum infantes esse sanctos: quid ergo de iniustorum, quorum semper maxima in Ecclesia pars est, liberis statuere? annon illos saltem sub diaboli imperio nasci fatebuntur? Obsessos corporaliter non dico: Captiuos uero Diaboli si negant, quae so quid tandem relinquunt de originis peccato? Quod si fatentur: Ergo hos saltem pio Exorcismo priuare non debebant: Ac quia semper infinita est hypocritarum multitudo in Ecclesia, neque a ministro iudicari potest, utrum parentes uere sint fideles, utrum hypocrisis simulent pietatem, necesse est Calvinianos semper dubitare, utrum infantes, qui ad ipsorum Baptismum adferuntur, sint sancti nec ne. Adeo nihil unquam certi est in huiusmodi humanis commentis. Nos igitur constanter ex uerbo Dei adferimus, omnes infantes tam iustorum, quam iniustorum, ab utero nihil praeter carnem esse, habere peccata, & esse obnoxios irae Dei, & praemi Satanae dominio: A qua miseria liberari non possunt, nisi per Dominum nostrum Iesum Christum, quem in Baptismi Sacramento induunt.

Calvinus multum sudat, ut ex promissione, quae Abrahae data est, fulcrum quoddam fabricet suo labenti errori. Ex eo enim quod Deus inquit: Ero Deus tuus & Deus seminis tui, elici putat, infantes quoque absque Sacramento ad foederis consociationem, & promissionis hereditatem pertinere. Verum si nuda promissio absque adplicatione constituit nos promissorum bonorum possessores: Quid prohibet, quin salus omnibus hominibus tribuatur, tam impijs, infidelibus, persecutoribus & blasphemis, quam pijs & credentibus? Inficiari enim nemo potest, in promissione illa prima, Semen mulieris conteret caput serpentis, uniuerso generi humano oblatum esse salutem: Quod si ergo hic excipit Calvinus, neminem fieri huius boni participem, nisi uera fide promissionem ad se transferat, idem ei de promissione facta Abrahae respondeo. Eatenus eam semini Abrahae promittere salutem, quatenus ea, uel infantibus circumcisione adplicaretur, uel adulti uero motu fidei oblata beneficia arriperent.

Nisi ergo nunc quoque per Sacramentum Baptismi fiat promissionem Christi ad infantes adplicatio: Per Sacramentum enim donatur infanti Spiritus sanctus, qui

fide. & alios motus in eo accendit: Promissio illa (Ero Deus seminis tui) non magis ad infantes, quam infideles & hypocritas pertinet. Aliquando prolixius ad tuam respondi V. Verberare questionem, ut intelligeres me uere adfieri miseris & turbis, que non bono zelo in patria concitantur, ac uolo ut hanc Epistolam alijs communices, & in primis concionatoribus: Qui si candide & absq; sophistica iudicare uolent, uidere possunt, Caluini & Beze deliria destitui presidio uerbi diuini. Oro autem eternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut pro immensa sua clementia & bonitate uerbi sui celestem lucem indes magis in mea patria accendat, & eternam ac sanctam colligat Ecclesiam: deleat Antichristi Romani idola & blasphemos errores: reprimat etiam hereticos Anabaptistas & Zwinglianos, & alios fanaticos spiritus: Utq; regat ministros Euangelij, suo sancto spiritu, ut omnes conatus ad nomina diuini gloriam, & Ecclesie salutem referant.

Bene uale Magdeburgi 4. Maij

Anno M. D. LXII.

Tilmanus Heshusius
suus Adfinit.

IVDI

11

IVDICIVM INCLYTE ACADEMIAE VVITTEBER-
gensis de Exorcismo & Cæna Domini, à Philippo Melancthone
consriptum, & missum Ecclesiis Transsyla-
uania, Anno 1558.

Quilibet homo debet Corpus Christianæ doctrinæ integrum discere, & statuere, se uelle ciuem esse ueræ Ecclesiæ Dei, & debet considerare, quæ & ubi sit uera Ecclesia, iuxta dictum: Credo esse Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem. Debet etiam cogitare quid inuocet, & ad ueræ Ecclesiæ inuocationem adiungere suam inuocationem, & fugere manifesta idola Ethnica, Mahometica, Papistica, &c. Multi autem possum uagantur, qui cum non curent præcipuam doctrinæ Christianæ partem, excerpunt quædam minus necessaria, de quibus tumultuantur sine fine: ut sit ab ijs, qui de Statuis & Abrenunciatione (ut nominant) quæ sit alicubi ante Baptismum, litigant. Omnino necessarium est, discernere in doctrina & cultibus diuinis res necessarias, & non necessarias, sicut Syracidæ 3. cap. dicitur: Quæ mandauit tibi Deus, ea sancte cogites. Ac in non necessarijs aliqua etiam infirmis condonanda sunt, ne Ecclesiæ sauciæ & moestæ magis sauciantur.

DE STATUIS necessaria est doctrina, ne adorentur, nec ad eas fiant concursus. Sed remouere omnes statuas & picturas ex priuatis & publicis ædibus, non necesse est. Optarem igitur, non moueri tumultus de ijs auferendis ex templis: sed si quis remouet, etiam non uolo eum damnare, præsertim si remouet sine seditione. Et in neutra parte certamina moueri uelim. Professio & Abrenunciatio in Baptismo aduulorum, prorsus necessaria est: sed infantuli recipiuntur, & uerè fiunt membra Ecclesiæ per Baptismum, etiamsi Professionem & Abrenunciationem nec faciunt, nec facere possunt. Volo tum publicam Ecclesiæ præcationem pro infantibus ante Baptismum fieri, uolo & legi testimonium Euangelij: Sinite paruulos uenire ad me, &c. Hæc retinemus in nostris Ecclesiis, præcationem & lectionem, ante Baptismum infantum. Si quæ uerba sunt in Exorcismo & in professione, de quibus litigant nonnulli, ego quidem de ijs nullas rixas moueo: sed condono quædam consuetudini. Alicubi in Ecclesiis rectè docentibus, Exorcismi & illæ professiones quæ fiunt per susceptores, abolitæ sunt: dedi consilium, ut restituantur, ne nouæ rixæ oriantur. Dicar sanè timidus & frigidus, quia nolo de talibus rebus rixari. Ostendo me ciuem esse huius ueræ Ecclesiæ, quæ amplectitur Confessionem nostram, quæ extat: & quædam infirmis pijs condonanda esse sentio, sed scio motis controuersijs, etiam leuibus postea certari ira & odijs. Hæc mala deploro, & precor filium Dei, ut & seruet Ecclesiam, & nos in ea gubernet.

DE COENA DOMINI difficilius est certamen, sed Papistici errores manifesti sunt, qui extra institutum usum circumgestant panem, reponunt, offerunt, & ibi adorant. Contra hos ieros errores teneamus regulam: Nihil habet rationem Sacramenti extra usum institutum. Quia creatura non potest instituere Sacramentum. Hæc regula posita, multæ falsæ adorationes ruunt: nec Eccijs poterat hanc regulam refutare in conuentu Ratisbonensi. Postea te instituto usu in uera Ecclesia affirmo prorsus filium Dei uerè & substantialiter adesse præsentem in ministerio instituto: quia persona est ab æterno Patre missa, ut proferat Euangelium ex sinu æterni Patris, & sit efficax, & colligat Ecclesiam. Hæc persona in hoc ministerio sic adest uerè & substantialiter, & est efficax, & communicatione corporis & sanguinis sui facit nos sibi membra, & sese, & beneficia sua nobis applicat, sicut & Hilarius dicit: Hæc sumpta & hausta faciunt, ut Christus sit in nobis, & nos in ipso. De hac communicatione & sumptione loquitur Dominus: Accipite, manducate. Et de præsentia filij Dei in ministerio, homines docendi sunt, & de applicatione: quia seipsum nobis applicat, & nos sibi membra facit uerè & substantialiter præsens. Nec fingatur Coena esse inane spectaculum. Existimo autem consuli posse communi concordie, si intra formas loquendi utriq; maneant, quas in Confessione nostra posuimus. Non defendimus ea, quæ extra institutum usum Papistæ addiderunt, quibus remotis, existimo posse concordiam in Ecclesijs nostris constitui.

Et oro ipsum filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut semper sibi Ecclesiam inter nos colligat & gubernet. Et ad confessionem nostram publicè editam me refero. Hæc scripsi, ut concordie Ecclesiarum consue- lam, non ut atrociora certamina excitem: & peto, piè considerentur: Die decimo sexto Ianuarij, Anni millesimi, quingentesimi, quinta quagesimi octauj,

Philippus Me-
lancthon.

12



46 ⁴/_{n, 2}

AB 46 ⁴/_{n, 2}

ULB Halle


3

002 814 994



SB







Inches
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

FORCIS,
ACTIONE
TISMI,

LÆ TRES,
VM DVÆ.

A
LEMANO
SHVSIO.

tertia, a.

MELANCHTHONE
D. VVITTEBERGEN.
Anno 1558.



SAXONVM.
TYPOGRAPHICA
ni, Anno 1590.

69. VII.

f

1